

Praesertim si quis largiter bis vel ter uti mos est, istis in morbis venam fecet, aequipolentia sane copioso sanguinis fluxu efficiet, humoris infestantis & fluidorum omnium cursum relaxans atque retardans, ob malum collapsum utique vasorum, qui ab ipsorum inanitione oritur, ut per pulsuum contractionem patet, et inde concoctiones & excretiones inhibens. Longitudinem autem morbi propter cruditatem inferens, humorumque stases & multa similia, quae ab illorum retardato motu emanant, laedit hoc remedio aegrotantem, non adjuvat.

§. 6. Nec quis unquam derivaturus sanguinem a tergo ad inflammatum locum fluentem, impetuque irruentem, ope ejus evacuationis istis in morbis prodesse potest; immo vero humorem antea compactum, nimisque acrem una cum eo e sede sua emovens, atque illum omnibus humoribus bene temperatis commiscens, longe acriores omnes reddit, mixtione ista valde perniciofa eos inquinando: malam autem istam temperiem plus augens, adeoque arteriarum & cordis pulsus fat excitans et irritans, & inde cursum humorum accelerans,